



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 127. An & qui Canonici vocandi ad Capitulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

2. Resp. ad secundum: Convocandum per Præfidentem illius, ut Barbof. quem Fagn. in c. ut Abbates. de atat. & qual. num. 27. dicit esse Archidiaconum, & hinc ad eum spectare convocare Capitulum, pro quo citat Host. in c. 1. de major. & obed. num. 2. Butrio num. 10. & alios. Sed quidquid sit de superioritate Archidiaconi supra Decanum & jure convocandi Capitulum, hoc jus de consuetudine spectare ad Decanum, ut addit Fagn. ex Abb. in c. audris. de elect. num. 3. & habet communis, videmusque passim sic fieri in Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ. Deficiente verò Decano, convocare Capitulum actusque capitulares dirigere de jure vel consuetudine spectat ad antiquiores ex Canonicis. Abb. in c. 1. de major. & obed. num. 4. Felin. & Jo. And. ibid. Fagn. in c. quia propter. de elect. num. 75. Nequaquam autem Vicarius Episcopi convocare potest Capitulum, aut etiam ejus convocationem impedire ratione officii sui, absente etiam Episcopo, juxta quod statuitur à Trid. Sess. 25. c. 6. nisi forte, ubi urgente causa id posset Episcopus. Pignat. consult. 154. num. 5. vel etiam deficiente Decano, ubi Vicarius ille esset Senior Canonicus. Episcopus verò convocare potest Capitulum suum, vota exquirere, & juxta pluralitatem eorum concludere, dum quid Canonicis proponere habet spectans ad Episcopalem dignitatem, jurisdictionem, administrationem, regimen, non verò spectans ad suum suorumque commodum, (nisi illud privatum interesse spectaret ad illum tanquam Episcopum, ut S. Cong. in una Seguntin. 3. Sept. 1587. quam retuli in for. benef. p. 2. quest. 671. num. 1.) nulla etiam consuetudine obstante, tam juxta jus commune, ut Innoc. in c. irrefragabili. de off. ordinar. num. 3. quam juxta Trid. Sess. 25. c. 6. Fagn. in c. cum ex injuncto. de nov. oper. renunc. num. 26. Barbof. loc. cit. c. 35. num. 7. qui tamen num. 9. subjungit, quòd quamvis, dum de suo suorumque commodò agitur, possit Episcopus Capitulum convocare & rem proponere, debeat tamen relinquere Canonicos solos, ut ipsi liberè rem discutiant & determinent, ipse Episcopus nullam in hoc casu vocem habeat, uti etiam aliàs nullam habet in Capitulo vocem, ut Barbof. in reperor. v. Capitulum; nisi forte esset simul Canonicus, & interveniret ut talis.

Quest. 137. An & qui Canonici vocandi ad Capitulum?

1. Resp. primò: Dum est Capitulum extraordinarium, hoc est, extra consueta tempora celebrandum, ad actus capitulares regulariter sufficit vocari omnes in loco presentes, aut non longè absentes; secus est, dum Capitulum est ordinarium seu solitum haberi certo tempore. In priore enim casu ideo non accedens ad Capitulum, quia non vocatus nescivit habendum Capitulum aliàs privaretur sine omni sua culpa exercitio juris suffragii, ad quod jus habet. In posteriore verò casu, etiam non vocatus, sciens habendum Capitulum illo tempore, & negligens aut volens interesse sibi imputare debet, quòd sine suo consensu tractetur & decidatur aliquid; nisi forte de consuetudine etiam ad Capitula ordinaria vocandi essent. Quòd si tamen etiam in Capitulo ordinario tractandum foret negotium aliquod arduum, requirens convocationem Capituli, id singulis Capitularibus præviè indicandum, eorumque facienda citatio. Ita ferè Reiffenst. h. t. num. 8.

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

2. Resp. secundò: Absentes Capitulares in tribus solum casibus de jure vocandi ad Capitulum, ut DD. communiter cum Gl. in c. 2. de testib. in 6. v. ipsorum. Quam sententiam Barbof. loc. cit. c. 39. n. 1. & alii vocant magistralem. Nimirum primò in electione Prælatorum, c. quia propter. de elect. Secundò, dum quis recipiendus in Canonicum, aut facienda collatio præbendarum vel beneficiorum, c. cum in ecclesiis. de præb. in 6. Tertio, cum indicenda cessatio à divinis, c. quamvis. de off. ordinar. in 6. ita Abb. in c. cum ex injuncto. de nov. oper. renunc. n. 10. Fagn. ibid. n. 25. Idem, nimirum quòd omnes absentes vocandi ad alios casus similes aut magis arduos, aut etiam in genere ad casus omnes arduos cum Abb. in c. 1. h. t. n. 13. Felin. in c. cum omnes. de constit. Fagn. Barbof. LL. cit. Ragul. de voc. can. q. 10. n. 5. passim extendunt AA. si tamen commodè citari possunt, & non est periculum in mora, & in contrarium non stet consuetudo aliquarum ecclesiarum, quæ semper est in hoc attendenda, ut monet Gl. in cit. c. quamvis, v. evocandi. Barbof. & alii apud illum. uti & in eo, ex quàm remoto loco absentes vocari debeant, standum consuetudini, ut cum eadem Gl. & communi Fagn. loc. cit. n. 53. Dum autem dispersi, & ab Ecclesia Cathedrali (idem videtur de collegiata,) absentes capitulares, qui debuerunt & commodè vocari potuerunt, vocati non sunt, id valori actus capitularis non obstat; Cum is ex inde non modò non sit ipso jure nullus; sed nec cassari debeat, illis non vocatis non persequentibus contemptum & contradicentibus. Fagn. loc. cit. num. 51. citatis c. quod sicut. c. bona et secundo. c. ecclesiæ. et secundo. de elect. & Abb. in c. quia propter eod. n. 12. Jo. And. n. 28. Card. n. 3. in quest. 7. Cum aliàs etiam unico solo non vocato, qui vocari potuit & debuit, probante & prosequente contemptum, seu contradicente actus à reliquis, etiam majore parte Capituli, in ejus absentia gestus cassari debeat juxta textus citatos. Qui quidem loquantur de electione, quòd ad alios tamen etiam actus capitulares paris arduitatis locum habent. Quin etiam, si vocandorum, abstrahendo jam ab absentibus & presentibus, plus quàm tertia pars non vocata seu contempta fuisset, eà etiam contemptum non prosequente, actus & per eum decreta à reliquis ipso jure essent nulla; non jam propter non vocatorum contemptum, sed propter defectum potestatis ad aliquid decernendum, residens penes duas partes Capituli (quæ deserviunt, si plus quàm tertia pars non vocetur,) siquidem hæc duæ partes totum Capitulum representant, c. cum nobis. de elect. Laym. in c. bone. de elect. n. 5. Pirh. ad tit. de postulat. n. 18. & quòd duæ partes faciunt, id tota universitas facere videtur; cum tota ejus potentia in duabus illis partibus resideat. L. nulli. ff. quod cujusque universitatis nomine. De cætero Capitulares tam absentes quàm presentes in loco Capituli, si legitime vocati venire neglexerint seu noluerint, (dum extra casum, quo ipsorum absentia ecclesiæ damnosa, aut presentia valde utilis, aut aliud speciali jure receptum, ad comparandum compelli nequeunt. Arg. c. quia propter,) cæteri ad actus capitulares procedere possunt. Gl. in idem. c. v. qui volunt. Abb. n. 4. Sylv. v. electio 1. n. 6. Quæ verò ulterius circa vocandos tam presentes quàm absentes ad Capitulum ratione habendæ electionis, (quorum præcipua etiam aliis actibus capitularibus applicari possunt,) vide tractata à Barbof. de Canon. c. 39. uti & à me in foro benef. p. 2. à quest. 300.

I 2

Quest.